

quod jam pridem factum esse oportuit, ⁷certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique ⁸interficiere, cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam ⁹tui similis inveniri poterit, ¹⁰qui id non jure factum esse fateatur. 6. Quam diu ¹quisquam erit qui te defendere audeat, vives, sed vives ita, ut ²vivis, multis meis et firmis praesidiis oppressus, ne ³commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc ⁴fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III.—⁵Étenim quid est, Catilina, quod jam amplius ⁶expectes, si neque nox ténébris obscurari ⁷coeptus nefarios neque ⁸privata domus ⁹parietibus contineri ¹⁰voces conjurationis tuae potest? Si ¹¹inlustrantur, si erumpunt omnia? Muta jam ¹²istam mentem, ¹³mihi crede! obliviscere caedis atque incendiorum. ¹⁴Teneris undique luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae jam mecum licet ¹⁵recognoscas. 7. ¹Meministine me ²ante diem duodecimum Kalendas Novembres dicere in senatu, fore in armis ³certo die, qui dies futurus esset ante diem sextum Kalendas Novembres, C. Manlium, ⁴audaciae satéllitem atque administrum tuae? ⁵Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tamque incredibilis, verum id quod multo magis, admirandum, dies? Dixi ego ⁶Idem in senatu, ⁷caedem te ⁸optimatum contulisse in ante diem quintum Kalendas Novembres, tum cum multi principes civitatis Roma non tam ⁹sui conservandi quam tuorum consiliorum ¹⁰reprimendorum causa profugerunt. Num infitiri potes te illo die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede, contentum se dicebas? 8. ¹Quid? cum tu ²te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, ³sensistine illam coloniam meo jussu meis praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam?